Coram tuis respondere animus mihi erat, mi Huygens, sed, cum quędam urbis huius negotia me per aliquot dies hic detineant, en tibi responsum. Me rem fecisse editione Emblematum nostrorum scio a quibusdam putari; et forsitan non sine lucello aliquo, id opus (si dijs placet) in publicum prodiisset, nisi homines quidam nequam id intervertissent. rem dicam; meis impensis et meo marte editionem istam (ignarus rerum) moliebar; ipse tabellas ęneas fieri, ipse imprimi curabam; nullum eo tempore prelum ad id in Zelandia, ~~nullus~~ nullus qui imprimeret; homines novi a me ad hoc instituti, qui preter imperitiam (qua nihil recte fit) etiam malam fidem adferebant; adeo ut innumera folia corrupta (folium autem singulum, liber est) innumera fere mala fide ablata aut in mala nomina redacta. id causam dedit ut exemplaria oīa una cum tabellis ęneis Wilhelmo Jansonio venderem, is mihi in bona ac aspera moneta id quod promiserat bona fide persolvit, fateor, sed si rationem ineam omnium expensarum et rerum male deperditarum, credo parum aut nihil in lucro residuum futurum; presertim si interusurium temporis huc accedat, sex centum enim libras flandrias et amplius expenderam, quas per partes cum magno temporis intervallo recipere mihi fuit necesse. Ex eo Vennijs fratribus rem permisi, qui exemplaribus ~~pictoris~~ [libris] ~~aut~~ alijs elegantijs id honeste compensant, vel aliter, [si ita visum] ~~ut visum mihi fieri~~ agunt; sumptus omnes ferunt, tabellas ęneas, quo mihi commodum videtur, inferunt. Quid tibi iam animi sit; aut cum ipsis vel cum alijs contrahere, Nescio. id mihi extra dubium videtur eum, cui auctor opus aliquod permisit, etiam inscio autore, privilegium impetrare posse, et autori ipsi id obstare; aliquo enim concesso et illud concessum censetur sine quo prima illa concessio commode expediri non potest: Commode autem opus aliquod precipuum quod genium habet, ut tua solent, sine privilegio non potest typis

MUSEUM CATSIANUM
VAN
Jhr. Mr. W. C. M. de Jonge van Ellemeet.
Handschrift n°. 12.

27/2

© Universiteitsbibliotheek Leiden
LTK CATS 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/212

~~ext~~ excudi, quin statim inveniuntur qui falcem mittunt in alienam messem, ut nuper et in tuis et in nostris accidisse ipse narras.
De novis liberum tuum est arbitrium; Plura ubi, Deo volente, te salvum salvus visurus sum.

Vale

tibi addictiss.

J. Cats

raptim

Dordrechti xiii^mo Novemb.
1623

MAATSCH.
NEDERL. LETTERK.
LEIDEN

© Universiteitsbibliotheek Leiden
LTK CATS 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/212

© Universiteitsbibliotheek Leiden
LTK CATS 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/212

D. D. Constantino
Huygens

Hagam

15. 9b. 27

© Universiteitsbibliotheek Leiden
LTK CATS 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/212